

si te sancti Medardi monachum fuisse tanto tempore denegas, oportet ut dicas, de quo monasterio in abbatem te credamus assumptum.^a Abbas ait: De monasterio optime vobis noto et sancte Romane ecclesie familiaritate tota olim devote^b applicito, id est sancti Richarii de Pontivo¹, ubi sub anno dominice incarnationis M^o C^{mo} vicesimo primo, indiccione XIII, contigit advenisse vobiscum dominum Petrum presbyterum Leonis² in eodem loco per dies XIII conversando, ubi vobis ambobus et clientibus vestris laute fuit ministratum, ubi eciam abbas Anscerus³ me ad obsequium vestrum invitavit, cum iam annos XVI^{cim} in cura abbacie expendissem. Ex illo inquam monasterio sub tempore domini Paschalis pape II.⁴ per Baldricum Tornacensem episcopum⁵ necnon per Lambertum suum archidiaconum postulatus et ab abbate Anszero absolutus et sancte Tornacensi ecclesie condonatus ad ordinem abbacie premissa fratrum electione canonice processit, cum iam in eodem loco ante me duo abbates prefuissent, Arnulphus⁶ et Geruinus⁷, in quorum ordinationibus sancti Medardi ecclesia nec consilium nec auxilium prebuit, siquidem ad illam nichil pertinuit.

Et papa tunc intulit: Et illius vestri loci quis fuit fundator aut edificator? Abbas respondit: Domne, illum locum, quantum ad cultum religionis, fundavit quidam Dei servus nomine Arnulphus. Papa ait: Et quis fuit ille Arnulphus? Abbas ait: Episcopus fuit Suessionensis. Papa ait: Ante episcopatum qualis homo fuit? Abbas ait: Sancti Medardi monachus fuerat. Papa dixit: Cum dicis eum fuisse sancti Medardi monachum et loci vestri fundatorem, oportet perinde, ut fatearis sanctum Medardum vestri loci possessorem. Abbas respondit: Nequaquam, o domine, quia aliter currit ordo gestorum. Et imploramus, ut placeat vobis audire liceatque nobis referre rei continuacionem, quoniam aliter nec invenietis veritatis nocionem. Papa dixit: Nos tibi libenter conce-

^{a)} *assumptum.* ^{b)} *devotione.*

¹⁾ Saint-Riquier en Ponthieu, Département Somme, Arrondissement Abbeville, Canton Ailly-le-Haut-Clocher. ²⁾ Kardinalpriester s. Calixti Peter Pierleoni, der spätere Gegenpapa Anaclet II., 14. Febr. 1130—25. Januar 1138. Der spätere Papst Innocenz II. war damals Kardinaldiakon Gregor s. Angeli. Vgl. BRIXIUS a. a. O. S. 38 n. 33 und S. 34 n. 15. ³⁾ 1097—25. Juli 1136. (?) ⁴⁾ 13. Aug. 1099—21. Jan. 1118. ⁵⁾ 1098—31. Mai ca. 1113. ⁶⁾ Neffe des hl. Arnulf, 1087—1095. ⁷⁾ 1095—1105.